

tive ad secundam. Ad 7, 8, 9, 10, *affirmative*. Ad 11, *negative*. Ad 12, 14, 16, *negative*. Ad 13, *affirmative* ad primam partem, *negative* ad secundam. Ad 15, *affirmative*. »

Et eadem causa reposita sub dubio : An sit standum, vel recedendum a decisio, in casu, etc.? Ead. sac. cong. die 2 Augusti dicti anni 1755, respondit : « In decisio. »

WORMATIEN. jurisdictionis, in qua ad seqq. dub.

1. An eminentissimus Ordinarius Wormatiensis seu ejusdem vicarius possit inhibere regularibus abbatiae Ebarbacensis ordinis Cisterciensis, ne sine praevia ejus approbatione excipiant confessiones monialium monasterii Marien-Munster ejusdem ordinis?

2. An eminentissimo Ordinario competat jus interessendi et praesidendi electionibus abbatissarum dicti monasterii?

3. An liceat eidem eminentissimo Ordinario petere rationem administrationis bonorum ipsiusmet monasterii?

4. An eidem eminentissimo Ordinario competat jus explorandi voluntatem puellarum admittendarum tam ad habitum quam ad professionem in dicto monasterio? et quatenus affirmative.

5. An occasione dictae interessentiae, redditionis rationis, et explorationis, teneatur monasterium ad aliquam expensam pro ministris curiae episcopalis Wormatiens, sive ex quocunque alio titulo?

6. An praefati regulares, et moniales cogi possint per multas pecuniarias in casibus praedictis?

7. An licita fuerit exactio centum imperialium facta a reverendissimo vicario Wormatiensi, seu potius teneatur dictam summam monasterio Marien-Munster restituere, et omnia damna reficere, in casu, etc.

Sacr. Congr. Concil., die 9 Julii 1746, respondit : « Ad 1, 2, 3 et 4, *affirmative*. Ad 5, *negat*. Ad 6, *affirmat*. Ad 7, *affirmat*. ad primam partem, et *negative* ad secundam. »

WORMATIEN. jurisdictionis, in qua reposita causa ad supradicta, et seq. nova dub.

1. An sit standum, vel recedendum a decisio sub die 9 Julii anni currentis 1746, et quatenus affirmative ad primam partem.

2. An, posita facultate per constitutionem Gregorianam episcopis concessa interessendi et praesidendi electionibus abbatissarum per se vel per alium, liceat eminentissimo Ordinario Wormatiensi interesse et praesidere per plures commissarios ab ipso deputatos?

3. An ad actum electionis conscribendum admitti etiam debeat notarius vel cancellarius curiae episcopalis Wormatiens, vel potius P. secretarius abbatissae regularis tantum?

4. An, completa canonica electione, liceat eidem eminentissimo Ordinario vel ejus vices gerenti neoelectam installare, eique possessionem dignitatis et officii abbatissalis tradere?

5. An ipsi eminentissimo Ordinario competat jus abbatissas electas confirmandi?

6. An eidem eminentissimo Ordinario jus competat denunciandi et determinandi

diem electionis faciendae, seu potius reverendissimo abbati Ebarbacensi? et quatenus negative quoad primam partem, et affirmative quoad secundam partem. »

7. An, elapsa die praefinita, et nemine ex parte eminentissimo Ordinario comparente, liceat reverendissimo abbati Ebarbacensi ad electionem procedere, in casu, etc.

8. An post mortem abbatissae liceat reverendissimo Ordinario claudere proprioque sigillo obsignare cubacula abbatialia, atque de substantia monasterii inventarium conficere, in casu, etc.

Sacr. Congr. Concil., die 17 Septembris 1746, respondit : « Ad 1, 2, 3, 4 et 5. In decisio, et amplius. Ad 6 et 7, ad mentem. Ad 2, *negative*. Ad 3, *negative* quoad primam partem, et *affirmative* quoad secundam. Ad 4 et 5, *negative*. Ad 6, *negative* ad primam partem, *affirmative* ad secundam. Ad 7, *affirmative*. Ad 8, *negative*. »

CONVERSANA, jurisdictionis, in qua ad sequent. dub.

1. An in monasterio monialium Carmelitarum Putignani electio abbatissae fieri valeat sine praesentia episcopi conversani, sive ejus delegati? et quatenus affirmative.

2. An illa aliter facta sine hujusmodi praesentia, dum episcopus declaravit juxta bullam *Inscrutabili* praesidere velle, sit nulla, ita ut ad novam electionem procedi valeat?

3. An munus priorissae in moniales juxta antianitatis ordinem, et sine ullo meritorum defectu ibi conferri debeat; sive potius monialium suffragia in alias etiam non antianas, juxta qualitates et merita libere dari valeant?

4. An superior seu commissarius dicti monasterii, per P. generalem ordinis ad triennium eligi solitus, possit per idem tempus in confessarium ordinarium monialium nominari, vel saltem P. generalis valeat alium nominare in confessarium ordinarium?

5. An episcopus sub censuris prohibere valeat superiori regulari dicti monasterii, et confessariis ordinario et extraordinario, ne extra propria respective munera cum monialibus alloquantur?

6. An possit episcopus pro clausurae custodia presbyterum saecularem deputare, qui claves monasterii retineat; sive potius illae per confessarium regularem sint retinendae?

7. An superiori, seu commissario monasterii sine censurarum incurso licitum sit, etiam cum justa et legitima causa, clausuram ingredi absque licentia episcopi vel ejus delegati?

8. An licentiae concessae pro medicis et aliis, qui ex necessitate in clausuram ingrediuntur, privative dari debeant a commissario monasterii, sive cumulative, etiam ab episcopo?

9. An hujusmodi licentiae pro medicorum, aliorumque ingressu absolute, vel ad limitatum tempus sint concedendae?

10. An ad alloquendum cum monialibus concessio licentiae saecularibus, ac aliis quibuscunque privative quoad episcopum pertineat ad superiorem monasterii: sive potius

cumulative ad dictum superiorem et episcopum vel ejus delegatum?

11. An episcopus sub censurarum poena prohibere possit tam priori conventus Carmelitarum existent. in terra Putignani quam aliis quibuscunque religiosis ejusdem ordinis, ne sine ejus vicarii licentia in scriptis cum monialibus alloquantur?

12. An episcopus prohibere valeat dictis superiori et religiosis conventus, ne sine ejus licentia missam in ecclesia monialium celebrent, et in casu contraventionis procedere possit contra ipsos ad aliquam poenam?

13. An ad crates ecclesiae, seu collocutorii, aut alibi liceat commissario monasterii, sermonem aut conciones habere ad moniales sine episcopi licentia?

14. An ordines prohibentes accessum ad collocutoria et crates monialium a solo episcopo indici et publicari debeant?

15. An sub censuris per episcopum prohiberi valeat ne portam clausurae priorissa aperiat, tam in accessu consanguineorum et affinium in primo et secundo gradu ad alloquendum cum monialibus, quam ubi et quomodo res in monasterium per rotam introduci possunt?

16. An absolutio monialium a censuris pro violata clausura, aut pro canon. *Si quis suadente* pertineat ad P. commissarium monasterii, sive potius ad episcopum?

17. An provincialis Carmelitarum clausuram visitans ad tramites Alexandrinae constitutionis, teneatur praeventive episcopum certiorum reddere de die et hora explendae visitationis, et quomodo hujusmodi certioratio fieri debeat?

18. An episcopo licitum sit in visitanda clausura stolam deferre, eique moniales teneantur stratum parare, omnesque in ingressu obviam ire?

19. An episcopus toties quoties expedire putaverit, possit, etiam inconsultis superioribus regularibus, tam clausuram quam cellas monialium in concernentibus eandem clausuram visitare adhuc praecise, tam a suspitione quod illa violata fuerit, quam a quacunque superiorum regularium negligentia?

20. An dies et hora explendae visitationis praefatae clausurae ab episcopo monialibus ante accessum et dici et notificari debeat?

21. An ejusdem clausurae visitatio ab episcopo sine superiorum regularium, seu alicujus religiosi interventu fieri valeat.

22. An ultra visitationem localem licitum sit episcopo visitationem personalem cujusvis monialis explorare, atque illam interrogare in attentibus ad clausuram tam materialem quam formalem?

23. An revisio computorum administrationis dicti monasterii faciendae sit ab episcopo una cum superiori regulari, dum bona et redditus per religiosum Carmelitam administrantur?

24. An acta necessaria pro receptione puellarum, tam pro educatione quam pro earum ingressu et professione, faciendae sint in cancellaria episcopi: a quo danda sit licentia pro earum ingressu et professionis emissionem: et ad quem spectet exploratio voluntatis earundem puellarum?

25. An Pater commissarius velum dare possit monialibus professis adhuc si vigesimum quintum annum non expleverint?

26. An, et a quo sit praestandus assensus alienationi bonorum monasterii, quae fit vigore can. *Terrulas*, in casu, etc.

Sacr. Congr. Concil., die 8 maii 1751, respondit : « Ad 1, *negative*. Ad 2, *affirmative*. Ad 3, *negative* ad primam partem, *affirmative* ad secundam. Ad 4, *negative* ad primam partem, *affirmative* ad secundam. Ad 5, dentur decreta. Ad 6, *negative* ad primam partem; *affirmative* ad secundam. Ad 7, *negative* excepto casu visitationis faciendae semel in anno. Ad 8, *negative* ad primam partem, *affirmative* ad secundam. Ad 9, concedendas esse ad tempus limitatum. Ad 10, *negative* ad primam partem, *affirmative* ad secundam. Ad 11, *affirmative*. Ad 12, *negative*. Ad 13, *affirmative* pro solis monialibus, et clausis januis. Ad 14, *affirmative* quoad ordines publicandos per edictum. Ad 15, *negative*. Ad 16, quoad primam partem spectare ad episcopum in casibus non reservatis S. Sedi, quo vero ad secundam spectare ad episcopum in percussione gravibus tantum. Ad 17, *affirmative* juxta decretum in Lycien. Ad 18, *affirmative*. Ad 19, *affirmative* onerata conscientia episcopi. Ad 20, *negative*. Ad 21, 22 et 23, *affirmative*. Ad 24, omnia spectare ad episcopum. Ad 25, *negative*. Ad 26, spectare ad episcopum. »

L

LEGATUM PIUM.

SACRAE CONGREGATIONIS CONCILII DECRET.

(1. De implendo legato pio.

Legatum missarum relictum ab Anna Conventati Censi implendum esse definivit S. Congregatio ex fructibus Locorum Montium et scutorum ter millium, tam quoad praeteritum, quam quoad futurum, excepto eo tempore quo redditus defecerunt, et pro rata, qua defecerunt in Maceraten. Legati Missarum 29 Novembris 1806.

(2. Non esse locum peremptioni legati pii.

Non esse locum peremptioni legati missae quotidianae relictum a Clemente Boncompagni definivit S. Congregatio, sed pro nunc implendum esse pro scutis 28, et injunxit eminentissimo Urbis vicario, ut curaret curatorem expunctionem rationum super annuo reddito et expensis domus legatae sodalitate SS. XII Apostolorum, cui legati administratio relicta erat in Romana legati. 19 Augusti 1815, ad 1, dubium, pag. 79.

Concessit tamen sacra congregatio absolutionem quoad præteritum, celebratis missis quinquaginta; *ibid.*, ad 2, dub.

(3. *De quodam legato implendo non est obligat. justitiæ.*

Legata Pompilii ad pias causas verbis deprecativis relicta, et cum testatoris declaratione *non li obbligo in coscienza*, non esse adimplenda ab hæredibus ex obligatione justitiæ, censuit sacra congregatio, attento præcipue discretivo loquendi modo, seu præceptiva dictione qua usus est testator in legato missarum; in Nullius Sublacen. 16 Maii 1801.

(4. *De translat. legat.*

Legatum pro celebratione missæ quotidianæ a Petruccio relicta in ecclesia Cistercensium Castri Focii applicandum esse negavit S. congregatio novæ extruendæ rurali ecclesiæ S. Mariæ in Alvo: in Amerina Applicationis legati missarum 19 Decembris 1801.

(5. *Legatum relictum sub conditione sacerdotii.*

Legatum pium relictum a sacerdote Dominico Favolini jamjam parochi S. Jacobi Faventiæ, et a Josepho Beralдини possessum, ex voluntate testatoris sacerdotalem ordinem requirere in possessore decrevit S. congregatio, cum præscripserit eidem Josepho præfigi terminum arbitrio episcopi sive ad suscipiendos ordines, sive ad dimittendum legatum. Quod si Joseph in termino ab episcopo præfigendo ad sacerdotium non ascenderit, tunc legatum pium Ludovico Baralдини illius fratri deberi dixit eadem S. con-

gregatio, quæ fructuum restitutionem penitus denegavit, in Faventina Legati 17 Decem. 1825, ad 1, 2, 3 et 4 dub.

(6. *Legati caducit. ob condit. non servatam.*

Constare de caducitate legati Pii Amadori, seu relictæ prælati, incurta a Vincentio Landucci ob initum conjugium, qui dispensationem tantum obtinuerat a SS. a suscipiendo sacerdotio, non autem uxorem ducendi, definiuit sacra congregatio, in Romana 13 Februarii ad 1. dub.

(7. *De implendo legato non obstante temporis intermissione.*

Legatum pium sacerdotis Lucae Dominici pro missa festiva in commoditatem rusticorum qui habitant in Villa di Cinarelli, S. congregatio decrevit reintegrandum esse ad designatam et reparatam ecclesiam S. Christophori, et hæredes Dominici teneri ad restitutionem sortium censuum juxta leges reductionis, et ad reddendam rationem, et docendum de celebratione missarum quoad præteritum, et quoad futurum celebrandas esse tot missas, quot redditus ad manuales. In Ferentina 20 Februarii 1808.

(8. *An, et quæ legata sint adimplenda, quoties diminuenda in casu, etc.*

Eleemosynam missarum deberi ad rationem manualis, et adimplenda esse omnia legata pia, et quatenus, redditus hæreditarii non sufficiant, diminuendum esse legatum relictum capellano. Lunen. Sarzanen. die Sabbati 5 Julii 1728.

Ex Thesauri Resolution. S. congreg. Concilii, tom. IV, pag. 191.

APPENDIX AD V. INFERNUS.

MONITUM EDITORUM CASINENSIVM.

Non ingrati rem lectoribus facturos confidimus, si hanc novissimam de Inferno Appendicem, quæ ad calcem postremi tomi edit. Barbell. exstat, in fine hujus tomi inseramus, ordini et methodo fortasse satius consulturi.

Non pauca minus considerate, ne quid gravius dicam, in superiori appendice, sive novo articulo de inferno, ab ejus auctore, quisquis tandem fuerit, proposita ac tradita sunt, quæ pro instituti mei ratione indicabo, quo facilius caveri a lectoribus possint. Quoniam vero res ipsas persequi non vacat, lectores rejiciam ad clariss. PP. ex ordine Prædicatorum Joannis Vincentii Patuzzi dissertationem *De sede Inferni in terris quærenda*, ac Thomæ Mariæ Mamachii tunc Casanatensis theologi, nunc S. P. Apostolici Magis, libros duos *De animabus justorum in sinu Abrahæ ante Christi mortem expertibus beate*

visionis Dei, quos in his animadversionibus duces sum secutus.

Vox *inferni* cum Genesis cap. xxxvii, vers. 35, tum Numerorum cap. xvi, vers. 30 et 33, *sepulcrum* proprie non significat, ut ex tota orationis serie constat. Cum enim Jacob filium suum Joseph a fera voratum fuisse arbitraretur, existimare non poterat, fore ut in eodem, quo ille, sepulcro conderetur. Core quoque, Dathan et Abiron profunda voragine absorpti fuerunt, non vivi in sepulcrum illati. Vide Patuzzium dissert. cit. par. II, cap. 3, pag. 92, seq. Hinc etsi Calmetus in Dictionario Biblico verb. *Infernus* scribat: « Hoc nomine Scriptura sæpe sepulcrum nominat, in quo defunctorum corpora requiescunt. Mortis filii sui Joseph dolore confectum se in infernum abiturum Jacob ingemuit. Core, Dathan et Abiron subito terræ hiatu viventes absorpti sunt in infernum, id est viventes sepulti; » et in comment. in Genesis cap. xxxvii, vers. 35,

verba illa, *descendam ad filium meum lugens in infernum*, sic interpretetur, « id est ad ima terræ, sive in sepulcrum, » et in Numerorum cap. xvi, ad vers. 30, dicat: « Catholici quidem, et e Protestantibus plures infernum hic de sepulcro interpretantur; » tamen in Comment. in Gen. loc. cit., ubi monuit *inferni* nomen usurpari interdum pro sepulcro, vel morte, interdum pro loco ubi animæ post obitum colligebantur, nec raro de loco ubi dæmones et impii in flammis cruciantur, subdit: « Tandem *infernus* est locus ubi justorum animæ Servatoris adventum operiebantur, unde digressæ post ejus resurrectionem ad æternam felicitatem perrexere. Eo se deducendum sperat Jacob post obitum, una cum Josepho filio suo. Limbum appellant nostrates theologi, infernum, et sinum Abrahami veteres patres. » Et in Comment. ad Num. c. xvi, vers. 30, ad verba, *Descenderintque viventes in infernum*, ait: « Non ita sane reputandum est quasi viventes corpore et anima absorpti sint in infernum: sed viva corpora intra terræ sinum condita sunt, animæ vero ad æternos in infernis cruciatus projectæ. »

Jam vero peculiariora nomina quibus infernus sive impiorum carcer in sacris litteris designatur, ut abyssus, lacus, etc., non modo illum determinatum locum esse, verum etiam subterraneum declarant, ut Patuzzius ead. part., cap. 5, et seq. ostendit. Quamvis autem nullum hæc editum ab Ecclesia decretum fuerit, quo quæstionem de inferni sede definiat, tamen sententia de subterranea inferorum sede haud inter adiphoras Christianæ fidei opiniones referenda est, et S. Thomas liberum quidem cuilibet esse censet infernum statuere vel circa terræ centrum, vel in aliis terræ recessibus; at nedum consentit intra terram ipsam locandum esse, sed et id ad doctrinam Fidei pertinere satis aperte significat. Patuzzius dissert. ead., part. I, cap. 5, pag. 20, seq. Quid porro velit S. Joannes Chrysostomus, cum *gehennam extra mundum hunc totum* esse affirmat, demonstrat Allatius dissert. 2, *De lib. Eccl. Græcæ*. Scilicet hoc unum vult, *gehennæ* locum « esse extra hunc locum universi qui habitatur ab hominibus..... nempe in recessu intimo et interno, et inferioribus abyssi, in quibus nulla hominum habitatio est. » Etenim ipse inferos in partibus terræ inferioribus alibi collocat. Patuzzius *ibid.*, part. II, cap. 10, pag. 132, seq. Quamobrem audiendi non sunt qui eundem a communi Patrum sententia Ecclesiæque traditione discessisse jactant. Immerito quoque S. Gregorius Nyssenus, et auctor operis imperfecti in Matthæum, inter illos recensentur qui caliginosam hanc aeris regionem infernum esse opinati sunt, ut ex attenta textuum, qui afferuntur, lectione patet: Patuzzius part. ead., cap. 1, pag. 77. Nec vero sententiæ hujus patronis esse præsidio possunt verba S. Pauli in Epistola ad Ephesios, cap. vi, vers. 2, ex quorum expositione sententia illa profecta censetur. Nam ex verbis Apostoli educitur, aliquos ex

malis spiritibus in caliginoso aere versari; aerem caliginosum esse damnatorum sedem, quam infernum dicimus, non educitur. Adeatur Alphonsus Tostatus episcopus Abulensis Commentariorum in septimam partem Matthæi, quæst. dxv, seq., edit. Venet., anno mdcxv, pag. 291, seq., et paradoxo quinto, cap. 80, edit. Opusculorum ejusdem, edit. cit., fol. 83, vers. et seqq., ubi de loco inferni locisque animarum corpore solutarum agit, atque indicatas de sede inferni opiniones refellit. Confer Patuzzium dissert. cit., part. II, cap. 1, pag. 75, seqq., quo in capite demonstrat locum aliquem certum ac definitum admittere oportere, ubi impii in futura vita puniantur, Brentii figmentum explodit, pluresque de hujusmodi definito locum veterum tum recentiorum opiniones recitat.

Scriptor Anglus, qui infernum in sole collocandum duxit, Swindenius fuit, in Opere Londini anno 1714. Anglico sermone *De natura et loco inferni* in vulgus edito, quod Bionius Anglicanæ Ecclesiæ minister in Gallicam linguam deinde transtulit, et præfatione, ad imperitos lectores magnarum rerum spæ decipiendos, præmissa publicavit. Ejus commentum funditus labefactavit Cl. Joannes Vincentius Patuzzius Ord. Præd. in egregio opere, quod indicavimus, Venetiis an. mdcclxiii. impresso, hoc titulo: « *De sede inferni in terris quærenda*, Dissertatio ad complementum operis de futuro impiorum statu, tributa in partes tres, in quarum prima nova refellitur opinio Swindenii doctoris Angli sedem inferni in sole collocantis; in altera communis sententia de sede inferni subterranea defenditur et illustratur; in tertia sensus ac doctrina Ecclesiæ catholicæ de articulo Symboli Apostolici *descendit ad inferos* propugnatur, tum contra Swindenium, tum contra Vossium, Bochartum, aliosque heterodoxos. » Ante Patuzzium alii cum Swindenio pugnam commiserant, de quibus Patuzzius in præfatione dissertationis eidem præfixa, quam lector, si e re sua duxerit hæc nosse, consulat.

Sequitur ut de inferorum in quatuor diversi generis receptacula distinctione paucis agam. Hæc non multorum modo, quemadmodum auctor Appendicis num. 6, scribit, sed omnium fere theologorum, maxime veterum, suffragio comprobata est, atque in copiosiori Christianæ doctrinæ expositione Ven. Roberti Bellarmini, qui deinde S. R. E. Cardinalis fuit, proposita. Quanta autem sit et esse debeat expositionis hujus auctoritas apud omnes Catholicos, liquet ex Clementis VIII et Benedicti XIV Constitutionibus, quas Lucius noster in responsione ad Theologum Roman. cit. Confer. Cl. Mamachium *De Sanctis V. T. ante Christum expertibus visionis Dei*, lib. I, cap. 3, § 1, num. 6, pag. 251, seqq. Catechismus quoque Concilii Tridentini jussu compositus, de quo pluries Mamachus § eod. num. 4, pag. 230, et seqq., tria in inferis diversi generis receptacula esse tradit. Cum enim part. 1, in expositione articuli quinti Symboli num. 2,